







1788, 21.

DE VI  
ET  
EFFICACITATE IVRISIVRANDI

---

DISSERTATIO PRIOR PHILOSOPHICA.

---

QVAM  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

DEFENDENT

ADOLPHVS WENCESLAVS SCHMIDIUS

ARTIVM MAGISTER, IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS,  
ET ADVOCATVS SAX. IMMATIC.

ET FRATER

EPHRAIMVS IOANNES GOTTHELF SCHMIDIUS

THEOL. ET LITT. HVM. CVLTOR.

---

D. XIX. IVL. MDCCLXXXVIII.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA.





D E V I

ET

THEOPHILUS

LIBRARIUS

AMPHIBOLIA

ACTIVITAS

ABOLITIO

ET

THEOPHILUS



V I R O

SVMME VENERABILI

CHRISTIANO THEOPHILO  
K V I N O E L I O

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI CELEBERRIMO ET LIPSIAE AD

D. THOMAE AEDEM ARCHIDIACONO, DE RE TVM

LITTERARIA, TVM CHRISTIANA LONGE

MERITISSIMO


PATRONO PIE DEVENERANDO.







*VIR SUMME VENERABILIS,  
PATRONE PIE DEVENERANDE!*

 *quam equidem diu studioseque acquisueram occa-  
sionem, pietatis in TE meae atque obseruantiae, conceptae  
dudum animo intusque in pectore inclusae, palam TIBI  
decla-*



deklarandae, cum nunc per studiorum rationem, quae huncce  
libellum academicum conscribendum suadebat, vltro mihi  
datam video oblatamque. Quamquam vero non ignoro, TE  
malle laudanda facere, quam laudari, ab homine praesertim  
illaudato atque obscuro: omnem tamen, cum tot tantaque  
in me volueris extare beneficia, mihi videbar humilitatem  
exuturus, gratique animi munus esse deserturus, si oppor-  
tuno hoc loco animi sensum, gratiam gestientis, cohiberem.  
Ab eo enim tempore, ex quo mihi contigit esse tam felici,  
vt hospitio TVO exceptus in ingeniis dilectissimorum libe-  
rorum TVORVM exercendis formandisque operam vt-  
cunque meam per quinque annorum, et quod excurrit, spa-  
tium ponerem, ad hunc vsque diem tanta me voluntate ac  
beneuo-





benevolentia es amplexus, tantopere me et consilio iuuisi et  
re, ut, praeter TE, cui plus debeam, sane nouerim nemi-  
nem. Id quod etiam in caussa fuit potissimum, quare hanc  
TIBI scriptiunculam offerrem pie ac dedicarem, fretus, fore,  
ut pro humanitate TVA benigne eam excipere haud sis de-  
dignaturus. Caeterum Deum Optimum Maximum TE cum  
Domo TVA splendidissima ut per longam annorum seriem  
saluum semper, sospitem atque incolumem seruare velit,  
quam ardentissime precabor. De voluntate vero TVA  
ac benevolentia in posterum quoque mihi seruanda, et oro  
TE etiam atque etiam, rogoque, et, ut ea nunquam vi-  
dear indignus, diligenter ac sedulo elaborabo; quando-  
quidem nihil quidquam prius habeam, nihil antiquius,  
quam



quam ut viris prober doctrinae elegantia et copia praestanti-  
tissimis, christianaque probitatis laude venerandissimis,  
hoc est, TVI simillimis,

NOMINIS TVI,

VIR SVMMÆ VENERABILIS,

Scrib. Lipsiae, d. XVII. Jul.

MDCCLXXXVIII.

cultor observantissimus

ADOLPH. WENCESL. SCHMIDIVS.



---

DE  
VI ET EFFICACITATE IVRISIVRANDI  
DISSERTATIO.

---

PARS PRIOR  
QVAE DE NATVRA IVRISIVRANDI IN GENERE EXPONIT.

---

§. I.

*Instituti ratio.*

Quum, quem pro more academico doctorum virorum iudicio atque examini palam subiicerem, libelli viribus meis aequi scribendi enata occasio videretur: non diu poteram multumque, quam potissimum tractandam eligerem materiam, deliberare. Neque enim, quae exquisitior esset paulloque abstrusior, neque largior atque amplior erat quaerenda; quoniam constitueram, paucis plagulis omne argumentum absoluere atque complecti. Quamobrem, quum repererim, esse, qui omnem iurisiurandi usum in ciuitatibus christianis reprobandum esse, statuerent, statim in quaestionem incidi,

A

quae



quae in viatque efficacitate iurisiurandi versatur inuestiganda. In qua quidem eruenda, licet nihil quidquam noui a me afferri posse videatur, tamen quodammodo meus esse poterò, et, si non omnia, quum breuitatis ratio habenda sit, singillatim pertractare, at potiora tamen generatim exponere, quasque delibare. Quocirca eam viam ingrediari, vt tum de natura iurisiurandi ad principia iurisprudentiae naturalis reuocata, in genere exponam, in quo huius libelli praecipuum versabitur consilium; tum de vi eiusdem et efficacitate in ciuitatibus speciatim disputem; id quod alteri libello, proxima occasione propediem edendo, propositum erit.

§. II.

*De origine iurisiurandi.*

Inter omnes fere tum antiquioris tum recentioris aetatis homines, vel maxime barbaros atque incultos quum manifesta appareant iurisiurandi vestigia, eiusque maxima semper fuerit aestimatio: quemque facile, qui rerum in historia obuiarum caussis perlustrandis animum aduofecerit, eius rei obseruatio mouere potest et excitare, vt et hic quaerat, quid potissimum occasionem iurisiurando praebuerit recipiendo, eique admittendo dederit originem. Huius vero rei disquisitio quamquam meris coniectionibus nititur, quippe quum documentis historicis certis destituamur: hoc tamen vix quemquam detertere poterit, quo minus paululum sibi indulgeat, et, quantum licet, in rem inquirat. Sufficit in huiusmodi rebus ad antiquissima tempora descendere, ingenium <sup>omni</sup> ~~humanum~~ tum viuentium consulere, et ea proferre, quae ad veritatem proxime videan-



videantur accedere. Causas igitur quum iurisiurandi a plurimis populis recepti anquisuissimus: duae potissimum vitae sunt id protulisse. Admodum veri est simile, inter homines, quo propius ad eorum infantiam, prima tempora, ac minus cultum, neque moribus prauis perditum vitae genus redeas, quoque magis eos infantium similes videas, animi simplicitatem, candorem, fiduciam, et fidem valuisse et magni fuisse aestimatam, eoque minus alterum de alterius adfectionibus et promissionibus dubitasse, quo magis haberet, quod solis eius verbis fidem daret. Quum vero saepius accidisset, fidem dextra datam ab altero desertam, alterumque nimia credulitate sua, verborum lenocinii fucoque procreata, esse deceptum; is, ubi de fide alteri habenda ageretur, maius quid postulabat fortasse, quod pignoris loco poneret, quodue illum ad fidem praestandam, promissaque strictius seruanda impelleret. Quid vero carius ille habebat, quod poneret, quam vel beneuolentiam et amorem Deorum, vel animam, vel vitam, vel honorem, vel omne, quod sanctum et religiosum putaret? Qua quidem fidei datae confirmatione declarabat, se non solum, si peierauerit, omnia ea sibi cupere erepta, verum etiam precari et optare, ut eorum loco quaeuis ipsum mala tangant. Si vero quis quaerat, quomodo talis declaratio, fideique confirmatio tantam apud alterum auctoritatem potuerit efficere, ut fidem is haberet, nihilque amplius ambigeret: facile hoc ex antiquorum hominum ingenio illustrari posse videtur, quippe quum putarent isti sibi que haberent persuasum, poenas, quas sibi vel aliis a Diis imprecari fuissent, protinus sequi, si peierauerint. Quae omnia igitur si a vero non prorsus sunt aliena: videntur *dissidentia* alterius erga alterum, et nonnunquam *superstitio* iurisiurandi consuetudinem progenuisse.





## §. III.

*De natura iurisiurandi.*

Quoniam autem quodque iuramentum cernitur in enuntiatione veritatem dictorum et promissionem vel aientem vel negantem confirmante, adhibita inuocatione Dei et testis et vindicis \*): sequitur primo, ut is, qui rite iuraturus sit, Deum esse credat, atque declaret et potentissimum rerum omnium et omniscium moderatorem, summumque dominum, propterea quod is ad Deum prouocet non testem modo eorum, quae fiunt, quaeque geruntur ab hominibus, sed vindicem quoque grauissimum et seuerissimum cuiusque fraudis et prauitatis. Deinde etiam hinc liquebit, nil interesse quidquam, qualem quisque de Deo imbiberit animo sententiam, verumne Deum, an falsum agnoscat is, qui fidem datam iureiurando confirmet, modo ne neget esse Deum, qui se peierantem punire valeat. Contra ea vero, qui, Deum esse, et, quae naturae diuinæ sunt proprietates, vel negat audacter, vel dubius ambigit, perspicuum est, fieri non posse, ut is ad Deum, tanquam testem prouocet, ac vindicem falsi prauique, sed potius a iurisiurandi fide alienum

\*) Cic. de Off. III. 29. iuramentum definit, et recte quidem, *affirmationem religiosam* h. e. quae fit ita, ut affirmes aliquid, Deo teste, ut ipse interpretatur eod. lib. c. 30. „Cum iurato sententia dicenda sit, meminerit, Deum se adhibere testem.“ Eadem definitio reperitur in ARISTOT. *Arte Rhetorica ad Alex. c. 18.* qui, ὅρκος ἐστὶ, inquit, μετὰ θείας παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος. Nam φάσις est affirmatio, et adiunctum vocabulum „religiosa“ exprimitur verbis: μετὰ θείας παραλήψεως, hoc est, quae fit Deo teste.



num' maxime videri. Tum vero etiam inde facile intelligitur, nil quidquam interesse formulam, qua quis in iurando vtatur, eamque profus ex arbitrio pendere, si modo ad testem prouocetur Deum ac vindicem. Idem porro statuendus est valor ex Iuris Naturae praeceptis iuriurando per ea facto, quae quis habet carissima et pretiosissima. Quis est enim, quin videat, mentem eius, qui ita iuret, nullam aliam esse, nisi hanc, se, si falsum iurauerit, se, quibus sibi nihil prius, atque antiquius sit, erepta sibi cupere, iisque a Deo priuari \*)?

§. IV.

*Iusiurandum esse rem mere aduentitiam.*

Iusiurandum igitur excelsum esse et venerabile, quamquam, qui dubitet, reperiri puto neminem: principale tamen quidquam haberi non potest, neque eiusmodi, quod nouam, quam dicunt, *materialem* obligationem producat, quoue ius aliquod perfectum in

A 3

alterum

\*) Longe aliud statuendum est secundum principia religionis Christianae. Quod enim cum debita Deo verecundia pugnat, iusiurandum illicitum est et impium, ad illudque nemo cogi poterit v. c. id, quod per *genium principis* quondam in Romanis inde ab Augusti aetate in vsu esse coeperat, et vi a christianis extorqueri, de quo v. EV. OTTO *de periurio per genium principis* in Diss. Ultraf. 1723. in 4to editis, et ALB. PAUL. FRICK *Dissquis. de iureiurando per genium principis*. Helmst. 1768.



alterum redundet; sed mere aduentitium quiddam et accessorium. Quoniam enim iusiurandum sine pacto inito vel negotio, de quo conuenere, ne cogitari quidem potest; nec nos obligamur, vt iuremus, sed iuramus, vt obligationem confirmemus \*): inde quoque efficitur, iureiurando promissum non posse fieri, sed id, quod promiseris, religiose tantum confirmari. Quodsi vero iusiurandum quiddam principale foret: sequeretur sane, vt, quod vel dolo malo deceptus, vel vi iniusta coactus, sacramenti religione pactum promissumue firmaueris, seruare tenearis: et iniusta res vel turpis fieri possit iusta atque honesta. Id quod tamen neququam statui potest; sed iusiurandum cum pacto et vigebit et stabit validum, vel vtrumque simul cadet irritum et corruet.

## §. V.

*Quid subiectum sit iuriurando.*

Ex quibus sp̄ho antecedente propositis et illud quoque, opinor, manifestum erit, iusiurandum quodque vanum esse et inuolidum, cui non ius perfectum aliquod plenaue quaedam obligatio praecefferit; ideoque nil quidquam valide iurari, nisi quod et iustum et aequum et honestum, quodue adeo in officio esse videatur. Quemadmodum enim de re per se turpi, iniusta et flagitiosa nequam

\*) cf. IOANNES BARBEYRACIUS *in notis ad PUFENDORF. ad Lib. IV. C. II. §. 6.*



quam debes pacisci: ita nec eiusmodi iuriurando, quo tale pactum aliquod confirmetur, ullam vim inesse posse, sponte apparet.

§. VI.

*De effectibus iuriurandi.*

Quae quidem omnia quum prorsus perspicua sint: facile inde etiam intellectu erit, e iureiurando obligationem cuiuspiam enasci nouam non posse; sed esse tantummodo obligationis sigillum. Quoniam enim iuriurandi natura cernitur in sola confirmatione religiosa eorum, quae ante pactus sis: sane erit consentaneum, ut, iure naturali stricte sic dicto, quae iam adest seruandi pacti obligatio externa, iureiurando accedente, nil crescere quidquam atque aulescere videatur. Neque tamen defuere viri docti, in iisque princeps HVGOGROTIVS\*), qui contrariam sententiam fouerent ac tuerentur. Volunt enim, Deo aliquid iureiurando promitti, atque inde ad illum ius quoddam ab homine transferri, vnde fiat, ut noua obligatio sacramenti fidem praestanti efficiatur, si non erga homines; certe erga Deum. In quo quidem doctissimi viri videntur confundere res maxime diuersas. Nam primum in eo peccant, quod formam iurif-

\*) GROTIUS de I. B. et P. L. II. C. XIII. §. 14. Si vero, inquit, aut verba hominem non respiciant ius ei conferendo, aut respiciunt quidem, sed aliquid sit, quod ei possit opponi, tunc ea vis erit iuriurandi, ut homo quidem ius nullum consequatur, at nihilominus, qui iurauit, Deo obligetur stare iureiurando cf. §. 16, 17. et Cap. XIV. §. 3.



iurisiurandi, quae in sola assertione religiosa versatur, parum accurate fecerunt a materia, quae nonnunquam continetur promisso, quod sacramenti vinculo obfirmetur. Deinde propterea in vitio sunt, quod voti vim et naturam cum vi et potestate iurisiurandi miscere videntur et permutare. Namque votum quidem Deo fit, ita ut aliquid faciendum omittendumue in te recipias, sancteque illi pollicearis; sed iusiurandum hominibus praestamus, ita ut pactis nos promissisque antegressis staturos fore solemniter adseramus, hac lege, ut, si fidem fefellerimus, non diuina solum nos misericordia abdicatos velimus, sed Dei quoque vindictam prouocemus. Tum vero etiam, si dederimus, fieri iureiurando promissionem, tamen inde nequiquam poterit vera obligatio doceri: esse enim nulla vis promissi, nullusque valor potest, nisi ei, qui fidem adstrinxerit, constet de acceptatione promissi. Sed unde ostendi poterit atque euinci a Deo facta promissorum acceptatio? Neque enim sumi poterit talis quaedam eius, quod promiseris, diuina acceptatio; nam nullus locus erit functioni in iurisprudencia naturali. Iam vero id, quod natura sua vel inhonestum et turpe est, vel noxium et inutile, si iureiurando firmatum fuerit, nec gratum Deo acceptumque erit, et potius iniustum atque abominandum. Inde fit, ut noua illa, quae iactatur, obligatio prorsus nulla sit, sed tota ficta ac mere imaginaria. Cur autem philosophi in eam sententiam inciderent, in causa fuit sine dubio iuris mere naturalis cum Ethica et Politica commixtio, quae tamen, ut in vniuersum, sic et in hac quaestione, ab illo probe debent separari \*).

§. VII.

\*) De limitibus Iuris Naturalis, eoque ab Ethica et Politica, distinguendo v. GYNDLING. in Praef. Iur. Nat. et Genr. 1774. et ACHENWALL Praef. I. N. ad edit. 3. 1755.



## §. VII.

*Quid periurium sit?*

Atque ex his omnibus, quae haecenus dicta sunt, sequitur, vt, qui meris verbis tantummodo prolatis iurauerit, mentem vero iniuram gerat \*), hoc est, qui non ex animi sententia atque ita iurauerit, vt mens conciperet, fieri oportere, is demum habendus in periuris videatur. Praeclare enim Cicero, *non falsum, ait, iurare peierare est; sed, quod ex animi tui sententia iuraueris, sicut verbis concipitur, id non facere, periurium est\*\*)*. Quod enim coactus quis metu, aut vi adactus, cum altero pactum inierit, illudque sacramento firmauerit, id cum metu liberatus pactum discindit, tantum abest, vt is periurus inde existat, vt, tum ex obligatione sibi extorta, tum ex iureiurando vi metuque exacto, illi in alterum ius belli merito competere videatur.

## §. VIII.

\*) EVRIP. in *Hippolyto* v. 612. verba Hippolyti ad nutricem Phaedrae sunt: ἡ γλώσσι' ἐμώμοχα' ἢ δὲ Φρην' ἀνώμοτος. Quibus verbis declarauit HIPPOLYTUS, atque adeo EVRIPIDES: qui non iurasset ex animi sententia, eum non iurasse, neque adeo peierasse.

\*\*) Cic. *de Off.* III. 29.





## §. VIII.

*De reseruatione, quam vocant, mentali.*

Ex quo apparet, cuncta, quae mente seruantur, aliter enuntiando, aliter sentiendo, iurantium, prorsus in vitio esse, propterea quod ea non modo in mendaciis sunt, quibus fit, vt noceas illi, qui iure pleno gaudet perfectoque veri ex te requirendi, aut fidem pacti abs te seruandam expectandi; sed in ipsis etiam periuuris habenda, quibus in Deum pecces grauissime, quippe quem in testimonium adhiberes eius, quod iureiurando adfereres. Cuiusmodi exemplum, quorum plura in historia omnium fere gentium occurrunt, vnum liceat proferre Comitum Fontani, qui, cum ab hoste captus iureiurando se adstrinxisset, neque peditem se, neque equitem aduersus Gallos pugnaturum, datam fidem callide sefellit, atque leſtica veſtus in praelio ad Rocioium dimicauit\*). Decipere hoc quidem est, non ex animi sententia iurare. Quocirca in omni re fugienda est talis calliditas peruerſe imitata prudentiam. Nonnunquam tamen incidunt tempora, quibus et vtile sit, et honestum, aliud ore eloqui, aliud mente clausum tectumque habere, illaesis tamen officiis perfectis. Atque hoc accidit, vbi vel diuinas et naturales leges non offendas, vel ipsum caput et principalis res, cuius causa iuraueris, turpis atque inanis sit, vel denique contentio comparatioque officiorum existat.

## §. IX.

\*) BENIAM. PRIOLVS *de Rebus Gall. Histor. Lib. II. Sect. IV.*



§. IX.

*De culpa periurii.*

Iam vero ex iis, quae supra (§. VIII.) de natura iurisiurandi disputauimus, fluere necessario videtur, non parum culpae sibi contrahere, qui falsum iuret, tum ex abusu nominis diuini, quo pietatem offendit maxime; tum vero etiam ex laesione pacti, id quod iustitiae repugnat. Ex quo item etiam hoc consequitur, vt, qui, cum primo falsum iurasset, postea se peierasse confessus sit, quam peierando deberi negasset, pecuniam perfoluerit, is ipse periurus videatur, propterea quod in animo habuerit, alterum fraudari. Qui autem inita subductaque ratione fraudem tentat atque inchoat, in eum, dubium non est, quin et culpa fraudis cadat ac vituperatio. Quae igitur iura competunt contra laedentem laeso, eadem etiam competere ei, qui contra periurum agat, sponte apparet.

§. X.

*Iurisiurandi natura sola confirmans.*

Expositis iam et demonstratis, quae in superioribus (§. III, V. VI.) declarauimus, satis docuisse videmur, iurisiurandi naturam in sola confirmatione vel asseuerante vel negante versari. Cuius quippe, quae a Iureconsultis fit, tenuis formarum atque acuta



distinctio, ex diuersa ad modum contractus applicatione nata, sicut aliquod fundamentum partitionis commune, habet confirmationem. Velut quo nos a crimine purgamus, iurisiurandi ratio confirmatione negante, quo petitores excusamus calumniam, aiente continetur, et sic in reliquis, quae sunt de genere eodem. Constituto autem illo, de quo ante diximus, quod iusiurandum sit, id esse solam confirmationem, intelligi necesse est, id quod etiam §. IV. et V. ostendimus, iurisiurando nullum esse vspiam locum posse, nisi vel ius aliquod perfectum sit, vel quod in recto officio versetur, antegressum.

§. XI.

*Iusiurandum in rebus licitis positum.*

Quamquam vero iurisiurandi rationem manifestum est haud necessariam videri; quoniam, qui Sacramenti religione promissa fulcit, eius obligationem externam haud augeri, supra (§. IV.) luculenter exposuimus, eandemque illam mansuram, quae foret, si nudam fidem dedisset; neque enim ex fide, quae iurata est, deserta, sed ex pacto violato alterum in ius vocamus: tamen neque religio impediet, neque doctrina morum, quo minus, quae a nobis promissa sunt, interposita iurisiurandi fide confirmemus. Mirabili igitur superlitione laborant, qui, ne iureiurando peccent, valde sibi ducendum religioni-opinantur \*).

§. XII.

\*) De quo singillatim exponit ABR. KÆSTNERI *Progr. de Memnonistiarum circa iusiurandum Superstitione*. Lips. 1726.



## §. XII.

*An iusiurandum extorqueri possit.*

Atque ex his omnibus probe perpensis et consideratis, cuique facile planum erit, eo quod eorum omnium, quae fiunt, quaeque geruntur, sapientissimus Deus est, et acerrimus cuiusvis mali prauisque auersator et vindex; quoniamque porro iurisiurandi religione nil promitti quidquam potest, sed tantummodo id, quod promiseris, firmari, et qui pactum non seruauit, et proinde, quo illud sanxerat, iurisiurandi fidem deseruit, contra cum ius belli erit; non quod peierauit, sed quod non, ex pacto, promissis stetit, iure naturali strictissimo iusiurandum omne omnino otiosum esse, illique nullam prorsus vim virtutemque inhaerere. Patet inde itaque, ut in naturali statu hominem homo ad iurandum vi adigat, haudquamquam licere, nisi valde iniustus videatur; atque ita, quae demum iniusto metu extortae iurationes sint, uti pacta vi iniusta extorta, irritas esse atque inanes. Quod vero secus in ciuitate erit, in qua si quis iusto metu ad paciscendum, quodue pactus sit, iurandum coactus fuerit, is ut praeflet, quae promiserit, et sane tenetur, et in summa iustitiae laude versatur. Itaque facilis et expedita explicatio erit in vulgus noti enuntiati istius, quod monet, cordi Deo esse extortum iusiurandum.





## §. XIII.

*Utilitas iurisiurandi.*

Quantumvis autem iurisiurandi ratio tota sit, iure mere naturali, superuacanea, uti modo (§. X. et XI.), arctis limitibus inclusi, paucis ostendimus: tamen in loco potest ac tempore per magna inde utilitas percipi, praesertim in ciuitatibus. Quum enim finis sacramentorum praecipuus et omne consilium maxime cernatur in sensu religionis, pietatisque et verecundiae erga Deum excitando, augendo, confirmandoque: sane permultum intererit in praecipuendis iurisiurandorum, formulis, omnibusne et singulis, sacramenti fide adstringendis, vna eademque lege praeceatur, an ad suum cuiusque quaeque formula ingenium atque indolem referatur; tum vero etiam ut ne nimis augeantur sacramentorum religiones; atque haud scio, an hoc modo peierantium numerus breui sit vel plane tollendus, vel certe admodum minuendus. Sed hic locus vberius tractabitur, cum de vi et efficacitate iurisiurandi in ciuitatibus disputabo, quod in aliud tempus referuabo.



T H E S E S.

---

I.

*Methodi, quam dicunt, analyticae cautus esse  
debet usus.*

II.

*Lectiois nimia assiduitas plus obest, quam  
prodest.*

III.

*Institutioni longe praeferenda est educatio.*

---



T H E S I S

---

I.  
Methode, quomodo dicuntur, mathematica certus esse  
debet esse.

II.  
Ergo non minus efficitur plus obest, quam  
prodest.

III.  
Appetitioni bonae praefertenda est educatio.

---





ULB Halle  
005 482 992

3



1078









1788, 21.

EFFIC

SIVRANDI

DI

OSOPHICA.

AMPLIS

VM ORDINIS

ADOLI

SCHMIDIVS

ARTIV

ACCALAVREVS,  
IC.

EPHRAI

F SCHMIDIVS

TOR.

VIII.

ERIA.

